



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Sect. III. Argumenta contendentia nullum habitum, qui semel fuit virtus,  
posse unquam producere actus malos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**

Et essentialiter virtus : qua de re nonnulla dicta sunt supra, Disp. 91. sect. tertiâ ; plenam tamen illius discussionem huc remisit.

**II.** Prima sententia affirmat nullum habitum virtutis, præcipuè moralis, esse essentialiter virtutem, sed eundem numero habitum esse indifferentem ad actus bonos & malos circa idem objectum eliciendos : ita Scotus in 1. Dist. 17. q. 2. & in Quodl. q. 18. art. 1. Major. in 3. Dist. 36. q. 3. Durandus in 3. Dist. 33. q. 2. num. 8. & alii.

**III.** Secunda sententia negat posse eundem habitum ad bonos & malos producere.

**IV.** Prima Conclusio : habitus aliqui ita ad actus bonos eliciendos sunt determinati, ut non possint unquam ad actus mali productionem concurrere. Huiusmodi in primis secundum communem sententiam, est habitus charitatis, seu perfecti amoris Dei super omnia ; hic enim ut constat, nullum actum malum potest producere, alioqui non esset amoris super omnia. Eiusdem rationis est habitus inclinans ad volendum non peccare ; hic quippe habitus, si ad malum, seu ad volendum peccare inclinaret, pugnaret secum, & involveret contradictoria. Idem est de habitu qui inclinaret ad faciendum aliquid quia à Deo est præceptum, ad omnia mandata servanda, &c.

**V.** Secunda Conclusio : non est universim loquendo essentialiter omni habitui virtutis, ut hoc sensu sit virtus, nempe ut non possit nisi actus bonos, seu studiosos producere, sed dantur aliqui habitus indifferentes ad actus tum bonos tum malos, virtutis & vitii producendos : ita Scotus & alii supra, numero secundo citati.

**VI.** Ratio est : nam ut supra, Disp. 91. sect. 2. ostendi, sunt actus aliqui indifferentes ut ex bonis fiant mali, & e contra : cum ergo habitus ad bonum actuum productionem ordinentur, eosque ut peculiare eorum principium respiciant, erunt eodem modo indifferentes ; nec ulla ratio est, cur habitus sint magis hac in parte limitati quam actus. Confirmatur : habitus inclinans ad actus secundum prædicata eorum intrinseca, inclinans enim ut principium eorum Physicum, seu productivum, ut ostendi Disp. 29. de Animâ, ergo ad id inclinans, quod producit, sed producit sola prædicata intrinseca actuum, ergo ad ea sola inclinans. Quantumvis itaque actus, qui fertur in objectum, quod ante prohibitionem fuit honestum, erat bonus, accedente prohibitionem mutetur extrinsecè ; & reddatur malus, cum tamen habitus eum secundum has extrinsecas denominationes non respiciat, sed merè quoad intrinseca, eodem modo actum respiciet & producet, sive objectum prohibeatur, sive non.

**VII.** Res clarior fiet exemplo : orationi quis aut studio per multos annos deditus, magnamque in iis facilitatem per diuturnam consuetudinem crebraque exercitatione acquirens, si hæc et à superiore iustis de causis interdicanter, sicque honestè iam iis vacare non possit, quæ antea honestissimè exercebat, summâ tamen animi propensione post prohibitionem ad studia ferri se sentiet ; & si ad ea se conferat, non minorem in studendo facilitatem, ob habitum scilicet prius acquisitum, experietur, quam ante prohibitionem experiebatur. **Habitus**

itaque studii vel orationis hos actus eodem modo post prohibitionem respicit & producit, quo antequam prohiberentur, cum tamen tunc boni essent & honesti, jam verò mali, & stante prohibitionem citra peccatum exerceri non possint. Idem illi contingeret, qui ad agendum cum proximo (quod aliquos summa animi propensione, ne dicam impetu, in dies ferri videmus, nimisque se alienis rebus cum proptii etiam profectus detrimento implicare) addictus, diu se hac in re exercuisset : is inquam, si ab hac exercitatione Superioris iussu avocaretur, idem in se hæc in parte experiretur, quod alter in oratione & studio.

**Habitus** itaque, de quibus huc loquimur, illi tantum sunt, qui respiciunt actus, quos circumstantia extrinseca bonos reddit vel malos, secundum se verò & entitatem intrinsecam nec bonitatem involvunt nec malitiam, quam solam eorum entitatem cum, ut dixi, habitus respiciant, perinde actus hosce producent, quando ratione circumstantiæ appositæ mali redduntur, ac quando erant boni : quæ clarius adhuc constabunt ex sectione sequente.

**SECTIO TERTIA.**  
*Argumenta contententia nullum habitum, qui semel fuit virtus, posse unquam producere actus malos.*

**O**BIECTUM itaque P. Suarez Disp. illâ 3. sect. 1. **Habitus** non inclinans nisi ad actus similes iis à quibus fuit comparatus, sed habitus virtutis comparatus fuit per actus bonos, ergo non nisi ad actus bonos poterit inclinare. Respondetur iuxta dicta sectione præcedente, habitum virtutis respicere actus bonos specificativè tantum, seu prædicata eorum intrinseca, nempe tanquam principium Physicè eorum productivum : cum ergo prædicata intrinseca actus alicujus, orationis scilicet aut studii, qui jam est bonus, quia non prohibetur, possint accedere prohibitionem eadem numero persistere, ut ostendimus Disp. 91. & consequenter actus fieri malus ; non est cur hic habitus nequeat ea etiam Physicè producere, cum sub hac tantum ratione illa respiciat ; non prout sunt bona vel mala, hoc quippe habent ab extrinseco. Quare Angelus intuitivè talem actum videns secundum illa præcisè quæ respicit habitus, nesciet utrum bonus sit an malus. Idem etiam est de huiusmodi habitu, quem præcisè cernens Angelus secundum ea per quæ respicit hos actus, non sciet utrum bonus sit an malus, virtutis an vitii, sed apparebit ei indifferens.

**Quæres** : in quo ergo situs est habitus virtutis aut vitii. Respondeo, ut sciatur utrum habitus sit bonus an malus, virtutis an vitii, spectari debent actus ad quos inclinans. Si ergo sint actus ejusmodi, ut vitari nequeant, nec mutari de bonis in malos, ut volitio non omnino peccandi, servandi omnia mandata Dei, & similes actus sect. præcedente, num. 4. relati, habitus hos actus respicientes erunt essentialiter habitus boni : sicut e contra habitus respicientes actus mentiendi, blasphemandi &c. sunt mali essentialiter. Tunc ergo habitus de quibus hic loquimur fortiantur denominationem virtutis, quando actus ad quos inclinans, versantur circa objectum, in quo nulla reperitur circumstantia vitians. Actus orationis exempli gratiâ

*Habitus respicit eodem modo actus aliquos, sive boni sint sive mali.*

**VIII.** Quos actus habitus iste indifferentes respiciant.

**I.** Quod habitus inclinans ad actus similes iis à quibus est productus, non impedit quo minus habitus virtutis possit interdum producere actus malos.

*Habitus virtutis non respicit actus ut sunt boni, sed tantum secundum intrinseca.*

**II.** Quid requiratur ad hoc ut huiusmodi habitus fortiantur denominationem virtutis.

*Est habitus dependenter ab actibus, ad quos inclinans, dicuntur boni vel mali, & peccati.*



SECTIO QUARTA.

Alia quadam inquiruntur circa naturam virtutis: ubi peculiariter de Prudentia.

& jejuni, seclusa prohibitione sunt boni, prohibitione posita mali, & consequenter habitus per denominationem hanc extrinsecam vel boni sunt vel mali. Secundo, & precipue, dici posset, ut supra Disp. 91. sect. 2. num. 6. notavi. habitum aliquem, ut censeatur completè virtus, præter entitatem Physicam includere prudentiam.

III. Hinc facile solvitur quod objicit P. Tannerus hic, Disp. 3. q. 2. dub. 2. num. 10. homines nimirum in nostrâ sententiâ, malè agendo acquirere virtutes, cum habitus acquirant actuum elicitivos, qui in quibusdam circumstantiis sunt boni. Respondetur itaque habitus illos non esse virtutes: tum quia non sunt conjuncti cum prudentiâ, sicque non habent denominationem virtutis completè sumptam: tum quia licet objectum circa quod actus illi versantur, non sit intrinsecè malum, nihilominus cum ibi sit semper circumstantia extrinseca, quæ actus illos reddit malos, sicut actus ita & habitus sunt mali, quamvis inclinent ad actus circa objectum materiale, qui actus amotâ hac circumstantiâ essent boni & studiosi, & consequenter in eo casu habitus illi essent habitus virtutis.

Quando actus sunt mali, mali etiam sunt eorum habitus.

IV. Aliud est de habitibus, seu virtutibus intellectualibus, aliud de moralibus.

Quid dicendum si actus mutari possent de vero in falsum.

V. Habitus aliqui intellectuales per accidens inclinamur ad assensum falsum.

Conclusio falsa deducitur interdum ex alterâ præmissâ verâ.

VI. Quomodo intelligenda dictum illud S. Thomæ, Virtus est quæ nullus male utitur.

Objicit Suarez secundo: habitus aliqui seu virtutes intellectuales, sunt essentialiter determinate ad verum; habitus enim scientiæ determinare nequit ad falsum, ergo & habitus seu virtutes voluntatis essentialiter determinantur ad bonum. Respondetur, non negare me habitus aliquos voluntatis esse essentialiter determinatos ad bonum, sicque semper esse virtutes. Solum ergo hoc de iis habitibus nego, quorum actus mutari possunt de bonis in malos? Unde si actus aliqui intellectus mutari possent de veris in falsos, idem fortè dici posset de illis habitibus intellectualibus; qui ad iustissimi actus inclinamur, mutari scilicet eos posse de veris in falsos effectivè, sicut actus mutantur de veris in falsos formaliter.

Secundo tamen dico, habitus aliquos intellectuales veros posse inclinare ad assensum falsum mediâ & per accidens: mediâ inquam, inclinando scilicet, ad actum, qui inclinat ad assensum falsum. Hoc ostendi potest in omni Syllogismo constante majore verâ & minore falsa, vel e contra, ex qua utrâque propositione ducitur conclusio falsa. Ponamus exempli gratiâ ethnicum aliquem, qui nunquam de mysterio Eucharistiæ audivit; hunc inquam ponamus videntem Hostiam consecratam, sic secum discurrere: *Accidentia panis insunt semper substantiæ panis, tanquam subjecto, sed hic sunt accidentia panis, ergo hic insunt substantia panis tanquam subjecto.* Hæc conclusio, sicut omnia alia, deducitur ex utrâque illâ præmissâ, cum tamen minor sit vera, ergo actus verus potest simul cum alio actu falso ad actum falsum inclinare, ergo habitus intellectualis verus ab actibus veris productus potest mediâ inclinare ad actum falsum. Idem est in sexcentis aliis exemplis, quæ quivis facillè excogitaverit.

Ad dictum ergo illud S. Thomæ, initio sectionis præcedentis positum; *Virtus est, quæ nullus male utitur*: aliqui propter hoc eius effectum existimant planè putasse eum nunquam posse habitum, qui semel fuit virtus, concurrere ad actum malum. Potest tamen S. Doctor intelligi de virtute completè sumptâ, seu ut conjuncta est eum prudentiâ. Deinde explicari potest, quod solum velit, non posse quempiam, per se loquendo abuti habitu virtutis, quamvis per accidens interdum possit: quam solutionem latius prosecutus sum supra, Disp. 91. sect. 3. num. quarto.

His circa naturam virtutis suppositis dividitur in primis in intellectualem & appetitivam: Quamvis, ut supra, sect. 1. sine notavi, virtutes intellectuales, non in habitibus à speciebus distinctis, sed in tali vel tali specierum coordinatione consistant.

Quæ res, utrum perfectiores sint virtutes intellectuales an morales? Resp. cum S. Thoma hic, q. 56. art. 3. & q. 87. art. 1. in ratione entis perfectiores esse virtutes intellectuales; cum enim ut supra, Disp. 83. sect. 4. ostendi, intellectus sit perfectior voluntate, idem etiam ut plurimum dicendum est de harum potentiarum actibus. In ratione tamen virtutis, ut ait idem S. Doctor citatus, perfectiores sunt virtutes morales, utpote quæ ratione libertatis faciunt hominem bonum, laudèque ac præmio dignum, Virtus autem, inquit Aristoteles supra citatus, est *qua bonum facit habentem.* Deinde virtutes morales hominem qua hominem perficiunt, seu humano modo operantem, id est cum dominio & indifferentiâ, plenèque in se & res alias potestate, quod non præstant virtutes intellectuales. Unde S. Thomas 1. 2. q. 61. art. 2. ad primum, virtutes intellectuales ait esse tantum analogicè virtutes.

Circa virtutum intellectualium numerum, Aristoteles lib. 6. Ethicorum cap. 3. sic habet: *Numero quinque hæc sunt, Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, intellectus*: quæ quid sint, & quo pacto inter se differant quisquis scire cupit, consulat P. Tannerum Disp. 3. q. 4. dub. 1. ubi hac de re diffusimè discurret. Opiniones à ratione virtutis intellectuales excludit Aristoteles, quod fieri possit ut per eam erremus: hoc tamen non parum videtur difficile, cum Prudentia secundum omnes, ipsamque Aristotelem, sit virtus intellectualis, quæ nihilominus plerasque conclusiones habet tantum probabiles, & opinativas.

Circa Prudentiam (quæ sola in præsentia ad nos pertinet) queritur utrum ad solum intellectum spectet, an etiam ad voluntatem. Ratio dubitandi est, nam ab Aristotele & omnibus numeratur inter virtutes intellectuales: ex aliâ verò parte, quantumvis quid agendum sit, modumque quo honestè fieri possit, quis sciat, boni tamen nihil agat, nec manum, ut ita dicam, operi admoveat, quis prudens eum prudentem existimabit? Neque in cuiusquam opinione prudens fuit, qui dixit

— Video meliora, probòque  
Deteriora sequor.

Dicendum in primis hæc in re Prudentiam, cum sit regula nostrarum operationum, modumque rectè in omnibus agendi præscribat, necessario spectare ad intellectum. Hinc Aristoteles 6. Ethic. cap. 6. Prudentiam definiens: *Est, inquit, habitus verâ eum ratione acturus circa ea, quæ & bona & mala homini sunt.*

Addo tamen, ut sit prudentia adæquatè & completè sumpta, requiri præterea habitum voluntatis ob rationem num. 4. positam, sive hic habitus voluntatis dicendus sit pars prudentiæ, sive conditio

I. Virtutes intellectuales quid sint.

II. Sicut perfectiores virtutes intellectuales an morales.

III. In ratione virtutis morales superior intellectuales.

IV. Virtutes intellectuales numero quinque.

V. Opiniones à ratione virtutis intellectuales excludit Aristoteles.

VI. Virtus Prudentia includit habitum intellectuales.

VII. Prudentia includit habitum intellectuales.

VIII. Includit intellectum voluntatis ob rationem num. 4. positam, sive hic habitus voluntatis dicendus sit pars prudentiæ, sive conditio